

*Sublimen titulis Te, Patriamque rapis.
Sive etenim patrios laudas Leopolde penates
Sive tibi queras ipse perenne jubar.
De Patria semper de Te quoque dicere possum:
Laudibus accensa est clara Lucerna tuis.*

Amoris & Consanguinitatis ergo applaudit
Heinricus Carolus Pfyffer Lucernensis, 1645.

NOMINI AVTHORIS IMMORTALI QVOD
HOC OPERE LONGISSIME DIDITVR.

Helvetiæ turbam describis quando Lucernæ
Vasto natantem gurgite.
Dumque feras, volucresque refers, dum littora narras
Scopulis saxisque horrida.
Quid memorem? famam ne magis credam esse perennem,
Dum marmori committitur?
An dum pennigeris rapienda ad sidera turmis
Typoque danda cælico?
Æquoreis an dum servanda immititur vndis
Sacratioque Nerei?
Vndas Rusa alijs comitatus fratribus offert
Rhenno trahendas limpido.
Famam ergo occiduos evolver in vsque Batavos
Sinusque terrarum vltimos
Qualém? sinceram imperturbatamque. Quis ergo
Inscriptum aquis hanc dixerit?

Accinus

Gabriel VVyfing Lucernensis, 1645.

NOBILI AC PRÆCLARO DN. IOAN-LEOPOLDO CYSAT,
Reipublicæ Lucernensis à Secretis Centumviro,

Irrigat effuso Pelecanus sanguine pullos,
At soboles vitam dum parit, ipse perit.